

Quam presso, ut perhibent, equus ales Bellerophontis  
 Extrusam e duris cautibus elicuit:  
 Dulcis ubi vatum resonat vox, flavus amœno  
     Quam Pater auditam Tibris ab amne refert;  
 Quam cupida bibt aure, oculos nec fantis ab ore  
     Demovet admirans densa corona virum,  
 Fulgentesque auro proceres, regumque senatus  
     Laudant purpurei carmina docta Patres;  
 Docta hercle! atque diserta, suis quæ non modo Panes,  
     Et Fauni certant sculpere in arboribus,  
 Sed Musæ excipiunt memores, inque ære nitenti  
     Gaudent inversis scribere litterulis;  
 Subdere dein præclo properant, impressaque famæ  
     Tradunt: illa volans trans Rhodanum, & Tamesim  
 Defertque, spargitque manu versanda virorum  
     Assidua, & cupidis usque legenda oculis;  
 Romuleis ne forte putent migrasse Camœnas  
     Collibus, Ausoniis præferat ingenii  
 Ne se usquam gens ulla, aut conferat. O bona pubes  
     O Phœbi, o Romæ delicium, o columen,  
 Et decus Italiæ, soli cantare periti  
     Arcades! algenti natus in Illyria  
 Versor ego vestro in cœtu; jam carmina mi fas  
     Pangere vos inter! jam mihi fas calamos  
 Mænaliī Panos gestare, ac tangere labro!  
     Jain vester socius dicor, & Arcas ego!  
 O niveam vere mi lucem! quid tibi, quid me  
     Debere hoc tali pro merito fatear  
 Docte Myræ? queam quid reddere? Nempe quod unum  
     Reddi vis, quoquo miseris ut docilis  
 Pegaseos cursus ineam, & ferar oxyus Euro.  
     Id faciam, id Faunos per tibi capripedes,  
 Panaque, Sylvanumque, sacrificisque horræntia lucis  
     Mænala & Alphei flumina polliceor.